

SCRIPTA

Numéro Scripta : 129

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 338

Auteur(s) : Henri Ier, Eu (comte)

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : 1107

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte de donations faites en faveur de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° VI, p. 24-26.

Texte établi d'après a

Anno Dominice Incarnationis Mo. centesimo VIIo, ego Henricus, Augensis comes, concedo libertatem omnibus hominibus quos habet ecclesia Sancti Michaelis de Ulterisportu, ita ut amodo nec ego nec heredes mei nullas ab eis exigant collectas, nullas taillias ; hoc idem frater meus Robertus concessit, et pro remissione peccatorum nostrorum et pro salute anime Matildis uxoris mee, et hoc vinculo perpetue excommunicationis ligavimus, et contradicentibus eternam maledictionem imprecamur, et separationem a Deo in die iudicii, teste Ingelranno de Hastings, Goiffredo de Sancto Martino, Geroldo dapifero, Wermundo de Petra, Rogerio de Sancto Petro, Guillelmo filio Walterii, Bosone de Barra, Gaufrido de Cuvervilla multisque aliis. Ramelinus de Mesnilo et uxor ejus Herberga dederunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, totam decimam quam in Septem Molis jure hereditario obtinebant, duas videlicet garbas prefate ville, et hoc fecerunt concessu filiorum suorum Drogonis, Lamberti, Roberti, Ramelini, et concessu Walterii Tirelli de Maisneriis domini sui, qui simul cum eis hoc donum super altare sancti Michaelis posuit, teste Hugone de Olivet, Walterio Tirello, Bartholomeo, Roberto Hachet, Hugone vicecomite multisque aliis. Drogo de Mesnillo et uxor ejus Hersendis dederunt et perhenniter indulserunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu consuetos redditus et pastus quos in eadem ecclesia, in festivitate sancti Michaelis, et Domini Nativitate, et sancto Pascha et Pentecoste, cum suis hominibus recipiebant : et ne a suis heredibus hec concessio corrumpatur, presente donno Osberno abbate multisque probis viris, interdicere et excommunicare fecit ; testes hujus rei : Henricus comes Augi, Ancellus de Fraelvilla, Robertus frater ejus, et Alvredus miles et multi alii. Walterius de Sancto Martino Jailardo concessit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu quicquid pater suus Goiffridus eidem ecclesie dederat, teste Ancello de Fraelvilla, et Roberto fratre suo, et fratribus ejusdem Walterii Nicholao, Geroldo, et Gaufrido de Sancto Albino multisque aliis. Bernadus de Busseio et Gusbertus, homo suus, dederunt, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu illud decime quod habebant in Buxeio, et hoc fecerunt concessu Walterii Tirelli domini sui et Ade uxoris ejus et filii sui Roberti, teste Ancello de Fraelvilla, et Roberto fratre ejus, et Roberto de Capeval, et Willelmo Parvo de Capeval, et Ivone de Buxeio multisque aliis. Walterius de Davidisvilla indulsit ecclesie Sancti Michaelis

de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, duas plaicias quas, singulis diebus quadragesime, ab eadem abbacia habere solebat, et pastum festi sancti Michaelis, teste Rogerio de Monceio, et Roberto de Monceio, et Hugone de Petreponte, et Alvredo milite multisque aliis. Ingelrannus de Floscis dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro anima uxoris sue Alberede, unam masuram terre apud Ulterisportum et, precatu donni Osberni abbatis, indulisit eidem ecclesie pastum quem in festivitate sancti Michaelis habere solebat, teste Hugone et Rainaldo fratribus ipsius, et Hugone preposito de Floscis multisque aliis. Guido de Mesnilo et Bernardus de Capinneio, qui monachi facti sunt, concedentibus filiis suis, totam decimam de terra sua quam tenebant ecclesie Sancti Michaelis concesserunt, teste Ingelranno de Grimunt Maisnil Suffulthum, et Roberto Suffulthum, Alvredo milite, Alvredo vavassore multisque aliis. Abraham de Petra, qui monachus devenit, concedente Hugone filio suo, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu decimam de Blanca dedit, teste Henrico comite Augi, Alvredo milite, Alvredo vavassore multisque aliis. Gislebertus de Sancto Hilario, concedente uxore sua Adeliza et filiis suis, quandam partem decime quam habebat ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu concessit, teste Willelmo fratre suo, Ausfredo de Bouvilla, Osberno de Lupicauda multisque aliis. Ancellus de Fraelvilla, ortante donno Osberno abbate, fratre suo, dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu unum modium frumenti singulis annis ad molendinum suum de Fraelvilla ad lumen ecclesie emendum, et hoc fecit concessu Rogerii filii sui et Roberti fratris sui, quibus et audientibus, excommunicare fecit omnes illos qui de predicto dono sancti Michaeli injusticiam fecerint, teste Roberto fratre suo, Gauffrido de Gregni, Adam de Gregni, Radulfo Mallart multisque aliis. Dedit autem idem vir eidem ecclesie pratum quod ipse tenebat subtus ecclesiam de Flamengevilla, concessu Rogerii filii et Roberti fratris sui ; quando vero hoc donum super altare sancti Michaelis posuit, prece ipsius, abbas Osbernus, frater ejus, excommunicavit omnes illos qui supradictum pratum a predicta ecclesia auferre presumerent, teste Alvredo milite, Alvredo vavassore, Isberto vicecomite, Amico fratre ejus multisque aliis. Dedit etiam idem Ancellus predicte ecclesie ecclesiam de Greigni, et mansuram propriam, et virgultum, et duos hospites cum curtillis, et domum sine curtillo, et terram ad unam carucam, et duo modia frumenti singulis annis ad molendinum de Fraelvilla, et francam molturam monachis de Greigni, et decimam de feudo Capoam ad Juncerriam, que fuit data pro anima ejus ; in Anglia sexaginta quinque solidos sterlingorum ad Pleidene, et decimam de denariis Vilissent, et decimam de baconibus et caseis que de Anglia veniunt. Supradictam vero ecclesiam de Greigni cum appendiciis reddidit ipse Ancellus domino Hugoni Rothomagensi archiepiscopo, et ipse dedit eam donno abbati Osberno et ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, apud Rothomagum in capella sua, presentibus multis testibus : Gauffrido Rothomagensi archidiacono, archidiacono Ricardo, archidiacono Fulberto, Galeranno multisque aliis. Comes vero Henricus concessit quicquid Ancellus predicte ecclesie dederat ; testis inde fuit ipse, et Robertus de Fraelvilla, Rogerius de Sauceio, Rogerius de Grantcourt et duo filii ejus, Walterius de Sancto Martino, Radulphus dapifer, Alvredus miles multique alii.